ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT MIT THEOLOGISCHEN TEXTEN AUS DEM UMKREIS DER MELKER REFORM

Melk, Wien (?), 2. Viertel 15. Jh. (Melk, 1434 und Wien [?], Mitte 15. Jh. [1451]) Seite 280r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41512
Copyright: Melk, Benediktinerstift



Tractatulus de compositione misse

Missa diuiditur in quatuor partes scilicet obsecrationes orationes postulationes gratiarum actiones Obsecrationes sunt ab initio misse usque ad pater noster postulationes sunt a pater noster usque ad communionem Gratiarum actiones sunt a communione usque ad finem Missam dominus iesus in primis secundum ordinem melchisedech instituit quando ex pane et vino corpus et sanguinem suum fecit et ob memoriam sui celebrari fecit Hanc apostoli auxerunt quando super panem et vinum verba que dominus dixit et dominicam orationem dixerunt Deinde successores eorum epistolas et euangelia legi statuerunt Alii cantum alii alia adiecerunt qui decorem domus dei dilexerunt Missam sixtus papa statuit non nisi super altari lapideo celebrari In misse celebratione bonifacius papa secundus statuit ut clerici a laycis sint diuisi Missas felix papa primus statuit super memorias martirum celebrari Missam martinus papa statuit alta voce cantari Missam virgilius papa statuit in ecclesiis ad orientalem partem dici Missam stephanus papa more apostolorum in sacris uestibus statuit celebrari Iudica me deus psalmum celestinus papa statuit ante confessionem dici Idem papa statuit psalmus ad introitum misse cantari De quibus gregorius papa autem ad introitum modulando composuit ut adhuc psalmi eiusdem usus ad introitum cantatur qui olim ad introitum totus cantabatur Gloria patri et filio et spiritui sancto nicena sinodus composuit Sic erat in principio etc ieronimus addidit et damasus papa ad missam cantari censuit kyrieleison siluester papa de grecis sumpsit quod gregorius papa ad missam cantari instituit Gloria in excelsis angelicus chorus in primis cecinit sed hilarius episcopus pictauiensis ab illo loco usque ad finem composuit Thelesoforus papa ad missam cantari constituit Dominus uobiscum de ueteri testamento scilicet de libro ruth est sumptum Pax uobis de nouo testamento scilicet de euangelio est sumptum Et cum

ad offertorium Orationes sunt a secreta usque